Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



illis es. nam et galileus es. Ille autem cepit anathematizare et iurare. Quia nescio hominem illum. quem dicitis. Et iterum statim gallus cantauit. Et recordatus est petrus ubi quod dixerat ihesus. prius quam gallus cantet bis. ter me negabis et cepit flere. Et confestim mane facto consilium facientes summi sacerdotes. cum senioribus et scribis. et uniuerso concilio uincientes ihesum. duxerunt. et tradiderunt pylato. Et interrogauit eum pylatus. Tu es rex iudeorum. At ille respondens ait illi. Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pylatus autem rursum interrogauit eum dicens. Non respondes quicquam. Vide in quantis te accusant. Ihesus autem amplius nichil respondit. ita ut miraretur pylatus. Per diem autem festum dimittere solebat illis unum ex uinctis quemcumque petissent. Erat autem qui dicebatur barrabas. qui cum sediciosis erat uinctus. qui in sedicione fecerat homicidium. Et cum assendisset turba. cepit rogare sicut semper faciebat illis.

Pylatus autem respondit eis. et dixit. Vultis uobis dimittam regem iudeorum. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. summi sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam. ut magis barraban dimitteret. Pylatus autem iterum respondens ait illis. Quid ergo uultis faciam regi iudeorum. At illi iterum clamauerunt. Crucifige eum. Pylatus uero dicebat eis. Quid enim mali fecit. At illi magis clamabant dicentes. Crucifige eum. Pylatus autem uolens satisfacere populo. dimisit illis barraban. et tradidit ihesum. flagellis cesum ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum intro in atrium pretorii et conuocant totam cohortem. et induerunt eum purpura. et imponunt plectentes spineam coronam. et ceperunt salutare eum. Aue rex iudeorum. Et percuciebant caput eius harundine. et conspue